

rinentem quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? Cajetanus aliam causam assignat, cur Præcursori vocis titulus attribuitur: « Joannis officium appellatur vox, quia non Scripturæ commendabat prophetiam suam, sicut alii Prophetae, sed missus erat, ad hoc, ut viva tantum voce prædicaret. »

3. — Hugo Cardinalis ad laudem S. Joannis duas alias hujus tituli Vox, rationes observavit, dum ait: « Primo commendatur in humilitate, nihil enim est humilior voce, quæ simul incipit, et desinit esse. » Secundo in Christi familiaritate, nihil enim verbum vicinior, quam vox. »

4. — Didacus Stella dicit, quod, quidquid in Joanne erat, id totum mera quædam, et efficax fiducia fuerit, quæ prædicabat, et provocabat ad penitentiam: « Joannes erat vox, quia quidquid erat in Joanne, erat vox; vestis, manus, pedes, caput et lingua; totus Joannes erat vox clamans, et dicens: Penitentiam agite; ejus cibus, potus, lectus, cilicium, media, os denique et facies prædicabant: sunt multi concionatores, qui vocem habent, et clamant, sed non sunt ipsi vox, quia si verbis prædicant, non factis idipsum insinuant. »

Clamantis.

5. — Valde desiderabilia sunt illa de Josepho in *Genesis*, xli, 40, prolata verba, quando eidem a Rege collatum fuit totius Ægypti dominium: *Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* De Christo David, Ps. ii, 6, 7, 8, prophetavit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dicit ad me: Filius meus es tu; postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Sicut Joseph Salvator Ægypti appellatus fuit, ita Christus nominatus est Salvator mundi; unus venditus fuit a fratribus; alter a Judæis qui ejus secundum carnem fratres erant: verumtamen id, quod presentis proposito nostro quam maxime deservit, est, quod in Scriptura dicitur, quod ad manifestandum Ægypto Josephi dominium, clamante præcone, ut omnes eorum eo genuflecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. Omnia in figura contingebant. Eodem quoque modo, ad hoc, ut omnes Salvatorem mundi, tanquam verum Dei Filium adoret, Præcursor ipsum præcedens, elata voce proclamavit: *Vox clamantis in deserto, etc.*, ubi Cajetanus ait: « Non sola magnitudo affectus personæ Joannis, sed publica declaratio significatur, ita quod non vox dicens privatim, sed publice prædicantis significatur per clamorem. »

6. — S. Bonaventura, in *Luc.*, ad energiam alludit, per quam impios a vitiorum lethargo excitabat: *Vox clamantis*, quia excitat dormientes, sed ad lucem erigunt. De S. Joanne scribitur: *Erat*

lucerna ardens et lucens; hæc autem lucerna lucebat quidem, sed in tenebris, id est, illos, qui peccatorum tenebris involuti erant, illuminabat, ut suos ad hanc lucem intuemdam aperirent oculos, de qua S. Joannes Evangelista, i, 9, scribit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Porro Toletus in hoc S. Joannis clamore, libertatem et efficaciam predicationis suæ agnoscit: « Clamantis, ut significetur libertas, et amplitudo predicationis ejus; libertas, quia palam, et omni postposito timore humano, et sine ulla personarum acceptione arguebat regem, principes et populum, et Christum eis annuntiabat, et quæ ad mores spectabant, docebat: amplitudo autem, quia sicut qui clamat, non solum sine trepidatione quæ sentit, aperit, sed etiam omnibus loquitur, et iis qui prope, et iis qui longe sunt, et ab omnibus vos ejus percipitur; sic Joannes omnibus locutus est principibus, Scribis et Phariseis, militibus, Publicanis, turbis et cæteris Judæis. Ex parte eorum, quibus prædicabat, clamasse dicitur, ad significandam duritiam et spiritualem surditatem eorum, quibus prædicabat. »

7. — Salmeron quoque ad necessitatem alhidii, quam surdi habebant auscultandi et audiendi ea, quæ Joannes dicebat, illi, inquam, qui non auribus, sed voluntate et obstinatione surdi sunt: « Necessarius fuit iste clamor, et altus, tum ut ii qui longe, id est, gentes, auribus illum percipere possent; tum ut Judæi male securi imminientia pericula perhorrescerent; jam, inquit, securis ad radicem arborum posita est. Clamat, quoniam a Judæis, et in illis omnes peccatores procul erant, et surdi, et somnolenti, ad quos excitandos timor voce grandiori: longe enim a peccatoribus salus. » Pergit deinde ostendere, quod Judæa ad instar aspidis surda aures suas obturavit, ne vocem incantantis eam, et quidem ad magnam illius utilitatem eam incantantis, audiret: « Scriptum etiam erat: *Surge qui dormis, et eurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* »

In deserto.

8. — Iyranus in sensu morali per hoc desertum gentilitatem, adducto S. Ambrosii testimonio, intelligit: « *In deserto*, id est, in gentium populo, qui desertus dicitur, eo quod peccatorum spinis impletur. »

9. — Hugo Cardinalis S. Joannem non in regio palatio, sed in deserto prædicare observat: « In deserto, non in palatio, ibi non clamat Christus: « at Justinianus, vel etiam Galenus bene auditur ibi, vel etiam, minus; sed Christo indictum est silentium, imo quod pejus est, legitur, quod cum volumine Jeremiae allatum esset in palatio eorum rege, scidit illud, et projecit in ignem. » Tritum est proverbium, quod dum quis sine ullo auditorio

fructu prædicat, communiter dici solet: Talis in deserto prædicavit, ad arbores nimirum surdas et insensiles; ac proinde juxta hoc proverbium de Joanne Herodi prædicante vere dici potuit, quod in deserto prædicavit, quia non solum per reprehensionem suam nullum apud Herodem fructum protulit, verum etiam vitam propriam amisit, quia veritas nimis est magnatibus exosa, devotioque in aulis eorum multo minus recipitur.

Parate.

10. — Lucas Brugensis, super hunc S. Matthæi textum, notat alios legere: *Repurgate, complanate.* « Metaphorica locutio est, sumpta a similitudine civium, qui si regem, quem expectant, suum honorifice excipere et testari gratum esse ipsius adventum volunt, viam qua venturus est, a sordibus, incommodis, atque impedimentis omnibus liberum reddunt, et pulchram ac amœnam conlittunt; » et tamen experientia comprobatur fuit, quod populus Judæorum non solum Christo hanc viam non preparavit, verum insuper ipsum a hove quodam et asino in stabulo super fimeto suscipi et hospitari permiserit: *Cognovit hos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognovit.* Isa., i, 3. Unde Chrysologus, *Serm.* cxlvii, non bene ad errorem istum emendandum his verbis hortatur: « Tu homo, si non mox cum Angelis, agnosce vel tardissime cum jumentis. » Didacus Stella modum nos docet; quæ omnes viæ hujus obices, et offendicula e medio tollere possimus: « Amoveatis peccatorum, mulierumque affectuum scopulos, quia via sit parata Domino, hoc est, absque ullo impedimento et molestia Dominus ad nos venire possit, et nos ire ad eum. » *Viam iniquitatis*, aiebat David, *Psal.* cxviii, 29, *amove a me*, id quod cum illo monito Lucas Brugensis consonat, dicens: « Animo peccata amove (ita scribit ad præparare se volentem) quemadmodum solent a via sordes; » ac proinde optima præparatio ad Salvatorem proxime venturum digne recipiendum erit bona sacramentalis confessio, debitis cum dispositionibus peracta. In hymno quodam ad Laudes legitur: « En sursum Agnus militum, laxare gratis debuit; omnes pro indulgentia, vocem demus cum lacrymis; novæ vitæ studeat, qui non secus ornatur, ac via auleis, aut ramorum viriditate. » Pergit Lucas Brugensis ulterius, et dicit: « Apparuit, (sunt verba Apostoli, *Ti.*, ii, 11), gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos; quænam autem est illa instructio, quam Salvator in suo adventu nobis dare intendit? Nimirum *ut abnegatis impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, pie vivamus, in hoc sæculo.* » Hugo Cardinalis inquit: « Parate viam Domini, ac corda vestra, peccata abjiciendo. » Sancta Mater Ecclesia hoc sacrosancto Adventus

tempore in quadam Collecta hanc nobis supplicationem præscripsit: « Ut hæc divina subsidia a vitis expiatis ad festa ventura nos præparent. » Didacus Stella magnus ille spiritualis vitæ magister, ad dignam hanc preparationem hisce non verbis exhortatur: « In hac vita, quæ via est, per quam ad aliam vitam tendimus, opus est recto incedere gradu: hoc est, vitia et peccata evellere, et cor nostrum ab omni sorde mundam habere. »

11. — Cajetanus apparatus nobis explicat, qui Redemptori nostro adventum admodum grati, et accepti, imo pretiosissimi futuri sunt: *Parate procul dubio actibus virtutum; parate non corporeis ornamentibus, sed rectitudine semitarum Dei.* Non est quod de tapetibus, auleis, aut aliis phrygio opere elaboratis, pannis aureis solliciti sumus, solum opus est, ut christianis virtutibus animas nostras exornemus, atque in honorum operum exercitio hoc tempore magis quam alio quovis anni tempore effervescamus, impendens nos operibus charitatis, misericordie, compassionis erga pauperes et egenos, exercendo nos in honestate, humilitate, mortificatione, ac in reverentia et cultu Dei, nec non in Sacramentorum frequentia. In Epistola Dominice I Adventus hisce verbis monemur: *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, induimini Dominum Jesum Christum.* Similiter in Dominica III nobis dicitur: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est.*

12. — Albertus Magnus ait: « Præparat viam, cum sternitur exemplis honorum operum, » quasi diceret, si viam, ad quas venturus est ad nos, pavementum interneremus ex auro, argento, gemmisque pretiosis construat, tantam utique in eo complacentiam habiturus non esset, quantum habet in viis, quæ bonis sternuntur exemplis, hoc autem monito præcipue obstringuntur, qui alias mala vita sua scandalizarunt proximos, prout ex Homilia S. Gregorii ad matutinum hodie prælecta clare deducitur.

13. — Origenes a S. Thoma in *Catena* citatus ita scribit: « In corde nostro via præparanda est: Dominus, magnum enim est cor hominis, et spaciolosum, si tamen fuerit mundum: neque in corpore quantitas, sed in virtute sensuum magnitudinem ejus intellige, quæ tantam scientiam capiat veritatis. » Etenim imaginemur nobis, ac si Filius Dei hisce diebus, festum natalivitatis sue antecedentibus, unicoque nostrum dicat, *Proe.*, xxxiii, 26: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*; et quis ita erga Filium Dei durus futurus esset, qui eidem cor nostrum, quantumcumque esset, possent, illud denegaret? S. Augustinus citatus a S. Bonaventura, in *Luc.*, ii, dicit, eum, qui cælum, terramque illuminavit, sua adimplet, ex data opera esse in angustias loci recipere voluisse, (siquidem non erat ei locus in diversorio), ut nos ad cor nostrum ei in

hospitium prompte offerendum provocaret: « Non erat ei nisi angustia in terris, ut in eo locum cordis tui sibi proprium dilatares. »

14. — Venerabilis Beda, in *Luc.*, dicit: « Omnis, qui fidem rectam, et bona opera prædicat, quid aliud quam venientem Domino ad corda audientium viam parat? » Immo non solum illa prædicantes viam Domino præparant, sed et qui hisce diebus verbum Dei libenter, et devote audiunt, id ipsum faciunt, si Hugoni Cardinali fidem adhibere volumus dicenti: « Parate viam Domini, verbum Domini libenter audiendo. »

15. — Parate viam, scilicet, ut S. Bonaventura ait: « Per observantiam mandatorum; » eandem quoque expositionem Albertus Magnus hisce verbis adhibet, dicens: « Parate viam, hoc est mandatorum observantiam; » etenim mandata vite ille sunt, de quibus Psalmista, *xiv*, 4, loquitur, dum ait: *Vias tuas Domine demonstra mihi*. Ecce qualiter Deus nobis acquiescat, dummodo præparationibus non omnino indignis ad ejus adventum nos præparemus. S. Hieronymus, *Epist. xx ad Casl.*, Salvatore nostrum legibus suis nos adstringendo hanc præcipue finem respexisse dicit, ut per legis observantiam, veram nobis comparemus filiorum Dei libertatem: Ideo aliquid imperat, ut causas habeat remunerandi, neque enim obsequii nostri Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio; siquidem in custodiendis illis retributio multa. Ipsemet quoque Salvator apud S. Joannem, *xix*, 23, dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

16. — Hugo Cardinalis verbis illis interpretationem quamdam adhibet illis, qui hoc Adventuali tempore abstinentiæ et jejuniis dediti sunt, valde congruam: *Parate viam, faciendo eam mundam per temperantiam*. Moyses olim a Deo petiisse legitur, *Exod.*, *xxxiii*, 13, 20: *Si inventi gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam*. Sed qua fronte aut animo id ipsum petere præsumebat, numquid ei ipsum protestatum fuisse constabat: *Non viderit me homo, et vivet?* Cui consonat illud S. Pauli, *I Cor.*, *xiii*, 12, effatum: *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. Aliud ad hoc responderi nequit, quam quod Ambrosius, in *Dom. I Quadr.*, dicit: nimirum Moysen hoc a Deo petentem diuturno illi quadraginta dierum jejunio fuisse innoxium: « Quamvis illum obtulit Dei conditio humana subtraheret, « jejuniorum tamen gratia proximum illum divini « tatis consortio faciebat. » Cui consonat, quod S. Basilius dicit, *Serm. ii de jejunio*: « Jejunium « Eliam magne visionis spectatorem fecit, quadraginta namque dierum jejunio animam purgans in « spelunca, meruit quantum fas est homini, Deum « videre. »

17. — S. Maximus, *Hom. i in Nativ. Joan.*, alium

quemdam viam præparandi modum nobis insinuat, dum ait: « Ille viam Domino suo parat, qui luxuriantis carnis respuesu voluplates, toto mentis « sue spiritu suspensus, ad Deum vigore se castitatis accingit. » Regius Propheta mysterium hinc Incarnationis et Nativitatis Messie, quod scilicet ex sua stirpe descensus esset, in spiritu prophetico providens, hisce nos verbis invitat, *Ps.* *ii*, 12: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et perentis de via justa*. Pagninus, Vatablus, et alii legunt: *Oculamini filium*. Alia quædam versio habet: *Amplectimini*. S. Hieronymus: *Adorate pure*. Alii a Lorino relati: *Adorate Filium*; adeoque secundum hanc legendi veritatem idem est Filium Dei adorare, amplectari, recipere, quod carnem nostram per castitatem et puritatem corporis et mentis nostre premere et mortificare. Rabbi Salomon legit: *Armani disciplina vel munditia*; quasi diceret: Hisce diebus, ut huic virtuti pudicitie cooperemur, ad macerandum corpora nostra, discipline nos flagello armemus, sic enim divinum hunc infantulum, qui pro salute nostra nascitur, peccatori nostro tanto artius et tenacius adstringemus. Hugo Cardinalis ait: « Parate viam Domini, ac corda « vestra, bona opera faciendo, curas mundi faci- « giendo. »

Viam.

18. — Porro qualisnam hæc via sit, sacrorum expositorum ducta facile intelligere possumus. Idem Hugo Cardinalis ait: « Via Domini, id est, per quam « Dominus venit ad peccatores, misericordia et « justitia; » qui idem, ut nos in hac via Domino nostro occurrere valeamus, consequenter quam viam ingredi debeamus, hisce verbis nos docet: « Via per quam venit ad Dominum est penitenti- « tia, et innocentia. » In toto adventuali temporis decursu Ecclesia nos sæpius per diem in divino officio repetere hæc verba voluit: *Parate viam Domini*, ut, nisi invitationi huic obtemperemus, et obsequamur, tanto inexcusabiliores simus. Etenim quoties illa Præcursoris verba: *Penitentiam agite, auribus nostris* et Judææ desertis insonarunt? Hinc vero adimpletur, quod quondam Propheta Regius, *Psal.* *xii*, 2, scripsit: *Dominus de celo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum*: videtur enim æternus Pater hisce diebus de celo super nos prospicere, ut videat, si quis nostrum sit, qui Filium suum excipere contendat; at vero omnes declinaverunt, omnes illum fugiunt, et aversantur, quia: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Hactenus quidem sacro hoc tempore sæpius clamamus: *Veni, Domine, et noti tardare, relaxa facinorosa plebi tuæ*; quod equidem ut consequamur, in potestate et manu nostra positum est, dummodo ad

peccatorum nostrorum remissionem et veniam nos disponamus, a quo tergiversando, excusari nequaquam possumus, cum scriptum sit, *Ps.* *cvi*, 1: *Confitemini Domino quoniam bonus*; ubi Chrysostomus ad propositum nostrum ita loquitur: « Nec peccator « jam poterit excusari, qui confessionem, per quam « venia nascitur, non preparavit amplecti; et vere « ad litteram, nascitur venia, siquidem e sursum « Agnus mittitur, laxare gratis debitum. » Enimvero si propter millionis cujusdam debitum, quo Domino tuo teneris obstrictus, inter carceris angustias, et compedes constituto, ipsemet rex et princeps taus ex ultimis regni sui finibus ad idem debitum tibi relaxandum egredere, seque pro te carceris compedibus vinciri permitteret, atque insuper regni sui te participem efficeret, quantus hic esse censeretur benignitatis excessus? « Educ vincitum de « domo carceris, » canit in Antiphona quadam adventuali sancta Mater Ecclesia, « sedentem in « tenebris, et umbra mortis. » Et licet ultrotrona hæc oblatione abutatur, neque nos misericordie istius participes reddere cupiamus, atamen, a quos delicetorum catena stringit, miseratio tua pietatis « elementem absolvit. »

19. — Lucas Brugensis aliam, Filio Dei occurrente, viam nos edocet, dum ait: « Via hominis in « sacris litteris, mores ipsius sunt, et institutum « vivendi: hanc qui vult Domino esse gratam « atque amenam, a vitis expurgat oportet, et « virtutibus ornet; » etenim Apostolus ad Ephesios, *iv*, 22, 23, scribens, ita nos monet: *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, renouamini spiritu mentis vestre, et induite novum hominem*. Origenes, in *Catena* citatus, ait: « Præ- « para viam Domino in corde tuo per conversatio- « nem bonam. » Boni igitur mores sunt viæ mundæ, nitidæ, et exornatæ ad Dei Filium recipiendum, nec non vita quædam nova et immaculata.

20. — Dionysius Carthusianus dicit: « Viam, id « est, præcepta consiliaque divina per quorum « observationem itur ad Deum, pure et irreprehensibiliter adimpleta, istæ sunt viæ Domini ex parte « nostri, id est, viæ, per quas aptamus nos ad Dei « adventum, videlicet ad suscipiendam gratiosam « inhabitationem ipsius. »

21. — Porro quantum, et qualis via illa sit, quam ad occurrendum Redemptori nostro ingredi debemus, Teophylactus unico verbo nos edocet, dum ait: « Via quidem, quam jubet parari, via est christiana. » Ut autem in hac via stabiliter et constanter perseveremus, duæ aliæ viæ a nobis ingrediendæ sunt, quas Psalmista indicat, dum ait: *Declina a malo, et fac bonum*. *Ps.* *xxxvi*, 27.

22. — Didacus Stella voluntatem nostram divina voluntatis arbitrio perfecte substralam, viam illam esse dicit, per quam Dei Filius in cordis et animæ nostre hospitium ingreditur; ac proinde celestis

Sponsus S. Gertrudi sponse suæ dixisse aliquando fertur, quod si se in corde ipsius frequenter multumque demorari desideraret, necesse sit ut cordis sui clavem sibi consignet, ejus videlicet voluntatem innuere volens; siquidem absolutus illius velit esse Dominus. Cumque sancta interrogasset: « Quæ est clavem? Respondit Dominus: voluntas tua « propria; in quo verbo intellexi, quid si quis « desiderat Dominum hospitio recipere, debet illi « clavem propriam voluntatis suæ resignare. Via « itaque Domini, » inquit Stella, « ad homines venientis est voluntas nostra; ipse homo est domus, « in qua Deus habitat, in quantum justificabitur, et « est via, in quantum disponitur ad justificatio- « nem. »

Domini.

23. — Porro adventum est, quod nec Isaias, nec S. Joannes Baptista nos ad præparandum hanc viam absolute invitaverunt, sed conditionale; non enim dicit absolute: *Parate viam*, sed addit, *Domini*; id quod idem Stella pariter observavit, dum ait: « Non dicit quod paremus quæcumque viam, sed « viam Domini; alia enim est via Domini, et alia « via nostra: vitia et peccata sunt viæ nostræ, viæ « autem Domini virtus. » Ad quod prohibendum illum Isaias, *lv*, 4, textum adducit, in quo Deus ait: *Non sunt viæ meæ viæ vestre, et cogitationes meæ cogitationes vestre, quia sicut exaltatur cæli terra, sic exaltatur sunt viæ meæ a viis vestris*. « Via « Domini, » inquit Stella, « quæ ducit ad vitam « arcta est, via autem impiorum, quæ ducit ad in- « teritum, lata et spatiosa est. » Salmeron tria viarum genera distinguit, dicens: « Sunt aliæ viæ « demonis, aliæ nostræ, aliæ vero Dei: viæ demonis superbia sunt, obstinatio et dolus: *Sedebo in monte testamenti*; viæ nostræ peccata sunt, et « viæ Dei virtutes; » viæ nostræ ad præcipitia, et ab Hierusalem in Jericho nos edocent, ubi in latrone incidimus, qui nos sanciant et totaliter despoliant; id quod sibi accidisse impij illi testantur, dum aiunt, *Sap.*, *v*, 7: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus*. Et longe expressus in *Ecclesiastico*, *xii*, 11, dicitur: *Via peccatorum complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebræ, et poenæ*.

24. — Dionysius Carthusianus ait: « Porro via « Domini ex parte ipsius, per quas venit ad nos, « sunt misericordia et justitia, de quibus canta- « mus: *Universa viæ Domini misericordia, et veri- « tas*; item charitas et liberalitas ejus, quæ ad « misericordiam reducantur. » Has quoque vias ex parte nostra ingredi debemus per opera misericordie exhibita pauperibus, Christus enim ipse expresse testatur, quod in pauperibus accipiat elemosynam, in infirmis visitetur, vestiarum in nudis, in incarcerationis visitetur, consoleturque in cunctis aliis misericordie operibus.

25. — Insuper per hanc viam Domini ipsismet Verbum incarnatum intelligere possumus; « nam « qui per divinitatis essentiam veritas et vita per- « manet, per incarnationis mysterium, » inquit Beda, in *cap. II Luc.*, « via facta est, quæ nos ad « patriam, ubi veritate et vita fruamur, reduce- « ret; » imo quod plus est, non solum via nostra fieri voluit, siquidem dixit: *Ego sum via, verum et se nobis, quamvis viatores sumus, in vaticum dedit, siquidem ad debilitatis nostræ sustentationem noster factus est cibus, et ideo in Bethlehem, quæ domus panis interpretatur, nasci voluit.*

Rectas facite.

26. — Toletus verba illa eorum, quæ immediate precedunt, declarativa esse dicit, quasi diceret: « Sic parabitis viam Domino, si direxeritis, et rectas « feceritis semitas ejus, qui vias Principis parant, « semitas dirigunt, et sequuntur, ut Princeps facilius « et citius ad cortius perveniat in urbem. » Porro S. Joannes Baptista populum ad vias venturo Messia dirigendas, invitabat, id est, penitentiam eidem inculcabat, quæ mediante peccata declinando, ad Deum, ejusque unigenitum Filium excipiendum sese converteret. « Peccata enim, » subjungit idem Toletus, « detorquent hominem a « Deo. » Titus Bostrensis, a Glossa citatus, dicit: « Dei semitas rectas facit, qui per illius justitiam « graditur; siquidem malitia, et improbitas res « obliqua est. » Si quis daretur in eadem innocentia, quæ infantie annos transegit, constanter perseverans, de eo utique, quod vias rectas inambulasset, dici posset; nam ut Didacus Stella ait: « Rec- « tum iter ille agit, qui sicut natus est, ita vivit, « ut moriturus. » Cajetanus similiter dicit: « Pro « explicatione apparatus, subjungitur rectitudo. » Quenam enim inter justorum et reproborum vias intercedit differentia? Nimirum hæc, quod reproborum vias distorset et oblique sint: *In circuitu impiæ ambulant*, inquit Psalmista, Ps. xi, 9, et Ecclesiasticus, xxxiii, 5, ait: *Præcordia fatui quasi rota carri et quasi axis versutiles cogitatus illius*; non vero ita constituta est via hominis justus, de hac enim Isaias ait, xxx, 7: *Semita justus recta est, recta callis justus ad ambulandum*. Reprobi diabolum patrem suum imitantur, de quo pluribus in Scripturæ locis dicitur quod circuit; in Job enim ipsemet dicit: *Circuitivi terram*. Et S. Petrus, I Ep., v, 8, ait: *Tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. At vero ut, quænam inter eum, qui rectam ingreditur, et alium, qui viam curvam et obliquam sectatur, differentia intercedat, clare eliquescat, notandum est, quod is qui viam rectam inambulat, quanto amplius procedit, tanto ab eo a quo digressus est termino, magis recedit; non vero idem fit quoad eum, qui viam ingreditur curvam et obliquam; quanto enim ille magis progreditur, tanto

citius ad locum; unde recessit, revertitur; id quod reproborum maxime proprium est, utpote qui pravus vitiorum, malorumque morum semitas non solum non deserunt, verum etiam ad pravas societates et conversationes pristinas citissime revertuntur. Porro via recta a S. Paulo hisce verbis insinuat, *Philip.*, ii, 13, 15: *Quæ quidem vero sunt obliuiscens, ad ea vero quæ sunt priora, intendens me ipsum ad destinatum persequor...*, quicumque perfecti sumus hoc sentiamus. De præciliis autem S. Bernardum, *Serm. xii sup. Psal. Qui habitat, velim auscultetis*: « Qui in circuitu ambulat proficiscitur quidem, sed nihil proficit; vae homini qui sequitur hunc circuitum; si conaris evellere, « panulum sequi videbitur, sed in dolo, circuitus « est, aliunde reditum parat. »

27. — Glossa ait: « Deo semitas rectas facit, « dum mundas cogitationes in animo, per sermo- « nem prædicationis format. » Qualiter desideria hæc purificare possumus, Toletus nos hisce verbis optime docet, dum ait: « Ille mundas cogitationes « habet, qui ad bona opera se convertit, non ex « ambitione, aut vana gloria, aliove humano affectu, « sed propter Deum ipsum; » unde Isaias, i, 16, nos exhortatur, dicens: *Lexamine, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere, quærite iudicium, subvenite oppresso*.

28. — S. Propheta Samuel, I Reg., xii, 23, in sancti regiminis sui ultimo fine ita populum est allocutus: *Docete vos viam bonam et rectam, timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro*. Salmeron dicit: « Tunc rectas faciemus « semitas ejus, cum damus operam, ne quid pravi « aut obliqui in eis inveniamur, quo accessus ejus « ad nos prohibeatur; nam ut Isaias dixit, cap. « lxx: *Iniquitates vestra dividerunt inter vos et Deum « vestram.* »

Semitas ejus.

29. — Dionysius Carthusianus dictionis hujus proprietatem optime explicat, dum ait: « Semita « autem proprie nominatur itinera secretiora, « compendiosiora, viæ autem itinera aperta et « magis communia; idcirco per viam intelligi pos- « sunt præcepta, per semitas autem consilia, quæ « directius ducunt ad Deum. »

30. — Euthymius de hisce semitis ita scribit: « Semita: varia sunt studia secundum Deum; habet « rectas faciunt, qui recto atque irreprehensibiliter « virtutem sectantur; » tales autem sunt qui consiliorum Evangelicorum viam sectantes ad perfectionem contendunt. Et quidem S. Joannem hujus semite viam auditoribus suis inculcasse mirum non est, quia Angelus Zacharie patri ejus prædixerat, *Luc.*, i, 17: *Præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios et parare*

Domino plebem perfectam. Salmeron quoque inter viam et semitam differentiam assignat, eandemque ad insinuatum mysterium congrue adaptat, dicens: « Dici potest viam præceptum esse, quantum exit « necessitas, observatum, semitam vero strictiorem « rationem observandi. » S. Bonaventura qualitates viarum istarum particulariter investigando, dicit: « Rectas facite semitas, scilicet intentiones, cogita- « tiones, affectiones, actiones, passiones, retribu- « tiones. » *Utinam dirigantur viæ meæ*, dicebat David, *Psal. cxviii, 5, ad custodiendas justificationes tuas*. Didacus Stella ad similitudinem, quæ semitas et consilia Evangelica intercedit, sese reflectens, dicit: « Quemadmodum semita quædam compen- « dia sunt, ut citius ad expectatum finem perve- « niatur; sic etiam qui seipsos ad consilium ad- « stringunt, magis merentur, ut citius in sanctorum « patriam proveniant. »

Additiones.

a. — *Parate viam Domini; rectas facite semitas ejus*. Regibus et principibus terrenis iter aliquod ingrediendum per proprium territorium, viæ parantur omniaque removeantur officendula; sic Deus, S. Joannem Filio suo Regi regum Præcursorem premisit, ut omnia in animabus hominum, ad quas tanquam ad proprium territorium iter suum instituerat, tollerent officendula. Satan autem maxime conatur illa ponere, dum serpens ille astutus, per insidias nos aggreditur, nobisque passim et ubique, ac in omnibus, innumeros tendit laqueos, nostrum quoque explorat genium, inclinationes et affectus disquirat, et secundum hos, nos tentat, et in lapsum propellit. Enimvero SS. Patres, qui magno Dei lumine fuere illuminati, omnes hujus serpentis dolosos laqueos discernere nobisque detegere potuerunt. Et quidem S. Ambrosius ait: « Multi laquei, qua- « cumque progredimur: laquei in corpore, in lege; « laquei in panis temporum, crepidinibus parie- « tum tenduntur a diabolo; laqueus in Philosophis; « laqueus in cupiditatibus, oculis enim meretricis « laqueus est peccatoris; laqueus in pecunia; la- « queus in religione, laqueus in studio castitatis. » Salvator noster de hoc adversario cum Apostolis disserens, luctasque quibus ab eo infestandi erant, prædicens, mystico hoc usus est loquendi modo: *Ecce Satanas expetivit ut cribretur vos*. Cujus phra- seos S. Bernardus hanc reddit rationem: « Sicut « enim in cribro multa foramina sunt, ita diabolus, « cum multiformis sit, se homini applicando, mille « modos tentandi habet; quia quot sunt vitia, tot « vitiorum variis modis ad tentandum. Unde secun- « dum S. Augustinum, diabolus plenus est incen- « tivo vitiorum, ideo toto conamine se applicando, « nititur animas suis incendiis inflammare. »

Trita admodum sunt illa S. Augustini verba: « Ramum viridem ostendit ovi et trahit illum;

« nubes puero demonstrantur et trahitur; amando « trahitur. » Quem eundem modum insidiosus serpens observat, siquidem genium, inclinationes, et affectus nostros explorat, porrigitque unicuique quod desiderat, ut illum in reia sua pellicæ et trahat. « Non simpliciter adoritur ille prædo, » inquit S. Isidorus Pelus. Ep. cccxxxv, « eos qui hoc tem- « pestatibus plenum mare navigant, verum explorat « prius, atque cognitis animæ propensionibus et « appetitionibus, ita demum aggreditur. » S. Gregorius Magnus in suis *Moralibus*, lib. XXIV, c. iii, eandem quoque doctrinam tradit, sequentibusque verbis demonis stratagemam manifestat: « Intulit « inimicus generis humani, uniuersusque mores, « cui vitio sint propinqui, et illa opponit ante « faciem, ad quæ cognoscit facilius inclinari men- « tem; ut blandis et lætis humoribus sæpe luxu- « riam, nonnunquam vanam gloriam; asperis vero « mentibus iram, superbiam vel crudelitatem pro- « ponat. Ibi ergo decipulam ponit ubi esse semitam « mentis conspiciat, quia illic periculum deceptionis « inferi ubi viam invenit propinque cogitationis. » S. Leo addit: « Habet etiam aliquos sibi obligatos, « quorum ad alios decipiendos ingenis utitur, et « linguis. »

b. — *Via Domini* hæc est per quam Dominus venit ad peccatores, misericordia scilicet et justitia. Deum enim semper considerare oportet ut misericordem simul et justum neque licet separare justitiam a misericordia. Quapropter in timore et spe nos ambulare debemus. Basilii Magni, hæc Psalmi cxiv, 5, verba exponens: *Misericors Dominus et justus*, inquit: « Ubique Scriptura miserationibus Dei « justitiam conjungit, nos plane erudiens, quem- « admodum nec misericordia Dei sine judicio, nec « judicium sine misericordia sit, sed commensura- « tur. Etiam cum judicio miserationes suas, iis qui « digni sunt admensuret. Et cum judicat commen- « suratum quoque nostræ infirmitati judicium in- « ferat benignitatis erga nos, affectu potius quam « æque compensatione nos plectens. »

Cavendum nobis est, ne misericordie Dei ita imitamur, ut obliuiscamur justitiam. Quin potius ob oculos statuenda est illa ejusdem S. Basilii ad presens propositum valde opportuna doctrina, dicentis: « Misericors est Deus? At idem etiam iudex; diligit « enim misericordiam et judicium Dominus, idcirco « misericordiam et judicium, inquit Psalmista, *cantabo tibi, Domine*. Qui autem illi sint adversum « quos ille misericordia utatur, ex verbis illis dedi- « cimus: *Beati misericordes, quantum ipsi misericor- « diam consequentur*. Animadvertitis quanta cum « discretionem misericordia Dominus utatur, siqui- « dem neque citra iudicii discretionem clemens « est, neque inclementer judicat; misericors enim « et justus est Dominus. Hæc igitur cum ita sint, « nolimus, quæso, nos Deum ex dimidia tantum

« cognoscere parte, neque ejus erga nos bonitatem, ad ignavie occasionem arripiamus. Propere tonitrua, propterea fulminum terrores, ut ne bonitas contemnatur. Qui solem oriri facit, is cæcitate etiam mulctat; qui imbrem dat, etiam ignem pluit. Illa clementiæ, hæc severitatis: aut enim per illa ad amandam alliciamur, vel per hæc ad metum assuescamus, ne nobis dicatur: « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnitis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Rom., II, 4. »

S. Augustinus super illa verba Psalmi XXXIII: *Diligit misericordiam et judicium*, ita scribit: « Omnipotens est Deus, nec in misericordia amittit judicium, nec in judicio misericordiam. Miseretur enim, considerat imaginem suam, fragilitatem nostram, errorem nostrum, cæcitate nostram, et vocat, et conversis ad se donat peccata; non conversis non donat. Misericors est et justus. Namquid autem judicium amisit, aut non debuit judicare inter conversos et non conversos? » Idem S. Doctor in Psalmum CXLV, dicit: « Et spes et desperatio timenda est in peccatis. Videte vocem desperantis ad augenda peccata, et videte vocem sperantis ad augenda peccata, et quomodo utrique voci occurrit providentia et misericordia Dei. Audi vocem desperantis: Jam, inquit, mandatus sum; quare non facio quiddam volo? Audi et vocem sperantis: Misericordia Domini magna est. Quando me convertero, dimittit mihi omnia. Quare non facio quiddam volo? Desperat ut peccet; sperat ut peccet. Utrumque metendum est, utrumque periculosum. Væ a desperatione! Væ a perversa spe! Utrique huic periculo et utrique malo quomodo occurrit misericordia Dei? Quid dicis tu, qui desperando valebas peccare? Jam damnandus sum; quare non facio quiddam volo? Audi Scripturam: *Nolo mortem impii; tantum ut revertatur et vivat*. Hac voce Dei reducitur in spem. Sed timendus est alius laqueus, ne ipsa spe amplius peccet. Quid ergo et tu dicebas, qui spe magis peccas? Quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet; faciam quiddam volo. Audi et tu Scripturam: *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim venit ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te*. Noli ergo dicere: Cras me convertam; cras Deo placebo. Verum quidem dicis, quia Deus conversioni indulgentiam promisit, sed dilatationi tuæ diem crastinum non promisit. »

VERSUS 5.

Omnis callis implebitur; et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.

1. — Ad impediendam viæ alienijus conficiendas

facilitatem, servire possunt, montes, valles, colles, saxa et omnia alia in via jacentia aut posita ostendunt, hæc autem obstacula auferenda esse Evangelista et Propheta dicunt, quia valles, in quas opus est descendere implebuntur, montes quoque ascendere oportet complanabuntur, colles pariter demittentur et æquabuntur, omniaque alia stipium, saxorum et dumentorum obstacula et medio penitus tollentur, adeoque: *Erunt prava in directa, et aspera in vias planas*. Cajetanus dicit: « Significatur per hujusmodi metaphoras tollenda omnis difformitas morum, tollenda pusillanimitas, superbia, injustitia et asperitas morum; prophetanque hæc fore cum Messias venerit, ut ex his materialibus dispositionibus viæ intelligamus necessarias nobis dispositiones ad recipiendum Messiam. »

Omnis callis implebitur.

2. — Jansenius difficultates considerat, huic nostre corruptæ naturæ ad virtutes exercendas naturaliter insitam, siquidem passionum nostrarum et inordinatorum appetituum impulsus, nec non continua infernalis inimici nobis intentata pugna a virtutibus consecrandis nos retrahunt et avertunt. Avero respondet: « Id non fore operosum, sed omnino facile, eo quod valles sint implendæ, hæc est, naturales nostræ inclinationes ad res infirmas propensæ, per Evangelicam gratiam sint perficiendæ, adjecto eo quod deest, nempe pietas et virtute; montes vero ac colles humiliandi ac deprimendi, hoc est, adversariæ potestates, quæ per superbiam sese erigebant, Christi virtute dejiciuntur. »

3. — Per depressas valles humiles intelligere possumus. Unde Salmeron ait: « Sunt humiles et pauperes turbæ, in quas facilius gratia divina descendit, solent valles floribus, frumento et fontibus abundare. » Dionysius Carthusianus idipsum ferme dicit: « Omne cor humile donis gratiæ copiose ditabitur, humilitas enim ad omnem virtutem et gratiam preparat mentem, sicut superbia ad omne peccatum. »

4. — Didacus Stella verba illa de pusillanimitate explicat, quæ multos a viâ bona persecutione deterrere et retrahere solet, eam difficilem et arduam existimando. « Intellige B. Joannem hic esse locutum de pusillanimitate; multoties pusillanimitas timidus homines facit, in causa est, ut multi suis vitis et peccatis inhæreant, existimant namque se non posse persistere diu in bono, quia statim ad antiquam consuetudinem mali deveniant. » Hisce igitur timidis et meticulosis hominibus in adventu Salvatoris auxilium divinum permittitur.

5. — Jansenius per hæc valles peccatores quoque intelligi posse existimat, eos videlicet, qui hactenus contempti, postea vero ad participium

divinarum gratiarum, quibus in adventu Salvatoris copiose accumulabuntur, frui admitti. « Per valles etiam recte acceperit quis idiotas ac peccatores res contemptos, apud homines, qui implendi erant gratia evangelica et erigendi ad consortium regni eorum. »

Omnis mons et collis humiliabitur.

6. — Beda per hosce montes et colles qui in altum eriguntur, in sensu spirituali superbos intelligit: « Quid hoc loco montium et collium nomine, nisi superbi homines designantur? In adventu igitur Redemptoris montes et colles humiliati sunt, quia juxta ejus vocem, omnis qui se exaltat humiliabitur; qui se humiliat, exaltabitur. »

7. — Jansenius vero aliter exponit, dicens: « Per montes et colles intellige eos, qui sublimes erant apud homines opinione sapientiæ ac justitiæ, qui humiliandi erant, sive quod eorum falsæ præsumptione per Evangelium sapientiæ ac justitiæ lium suum sponte posituri essent, quo capaces fierent divinæ justitiæ ac sapientiæ. »

8. — Glossa per valles gentilitatem, per montes synagogam intelligit: « In adventu Domini humilis gentilitas impleta est et crescit, plenitudinem gratiæ accipiendo; ad Judæa superbia per errorem perfidiæ suæ hoc, unde superbiebat, perdidit. »

9. — Lyranus considerat quod, sicut viâ aliqua per concavitates et profunditates vallium montiumque altitudines difficilis redditur, eodem quoque modo quantum ad mysterium, « viâ spiritualis, quæ Deus graditur super corda fidelium, impeditur per depressionem terrenæ cupiditatis, et per elevationem mundanæ vanitatis; utrumque impedimentum fuit a motum per adventum Christi in multis. »

10. — Salmeron per hosce montes, mundi magnates, qui eidem dominantur, intelligit, eosque dicit tunc quoque humiliandos, dum se quoque Christo non minus quam alii opus habere intelligunt: « Ut intelligant superbi omnes atque elati principes, qui instar montium sunt et collium, fore ipsorum superbiam deprimendam, pares ut se et æquales illis quibus imperant, agnoscant, et seque ipsos non minus quam inferiores, Christo agere. »

11. — S. Cyrillus a S. Thoma in *Catena* citatus, in adventu Christi miram quandam facilitatem futuram esse dicit, quia cum omnes malæ consuetudinis, omnisque in virtuose operando difficultatis nodi dissolvendi erunt: « Quemadmodum enim Evangelicæ conversationis et vitæ iter erat ad eundem difficile ex eo quod mentes singulorum mundanæ voluptates oppresserant; ut autem Deus factus homo peccatum damnavit in carne, explanata sunt omnia, et reddita sunt ad eum

« dem facilis, et nec collis, nec vallis, proficere « volentibus obviavit. »

Et erunt prava in directa.

12. — Beda pravarum viarum directionem sequentibus verbis declarat: « Prava in directa sunt, cum malorum corda per injustitiam detorta, ad justitiæ regulam diriguntur. » Salmeron similiter dicit: « Prava in reclam viam id significat, ut in æsti homines, fraudibus atque fallacis rapientes « aliena, justii efficiantur. » Elenim vix Salvator noster pedem suum Zachæi domui intulerat, cum ecce subito ex usurario liberalis factus est erga pauperes: *Eccc dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quid aliquid defraudavi, reddo quadruplum*. Idem quoque Doctor de Præcursore dicit: « Obliga et prava recta reddebatur, quando « aiebatur publicanis: *Nihil aliud, quam quod constitutum est vobis, faciatis*. »

13. — Lyranus hanc pravorum directionem de mutatione explicat peccatorum, quem in his fit virtute divinæ gratiæ: « Corda contra Christum inducuntur, rata molliciantur; exemplo nobis Saulus esse potest, qui derepente in Paulum mutatus fuit, quique antea Christianus obstinate persequebatur, in unico fuit momento temporis mutatus, suamque voluntatem in manus Dei consignavit, dicens: *Domine, quid me vis facere?* »

14. — Dionysius Carthusianus ait: « Hoc est, « corda vitiosa convertentur, et sicut directa, hoc « est justa, et secundum rectitudinem diriguntur. »

Et aspera in vias planas.

15. — Beda per hanc asperitatem complanatam, dicit intelligendos esse iracundos, qui exemplo Christi mansueti evadunt: « Aspera in vias planas « immutantur, cum inimicitæ atque iracundæ mentes, per infusionem supernæ gratiæ ad lenitatem mansuetudinis redeunt. »

16. — Salmeron ait: « Homines vel ad levissimam occasionem in exardescentiam insurgentes, convertentur in mites et lenes. »

17. — Jansenius præcipuum adventus Filii Dei affectum esse dicit extirpationem vitiorum, quibus homo inoroscere solebat, et virtutum institutionem: « Aspera in vias planas, cum vitiorum hæc cupiditatum obliquitates et asperitates redactæ sunt ad rectitudinem et plantam virtutis. »

18. — S. Thomas circa hæc verba Salvatoris benignitatem considerat, qui fragili hæc carne nostra sese vestiens, socius et viæ comes noster fieri voluit, ad hoc ut virtutis viam ambulationem efficeret: « Ne « viâ hominis videretur nimis gravis, factus est « homo Deus, et propter hoc socius viæ et peregrinationis. »

19. — Dionysius Carthusianus ait: « Aperam in vias planas, id est, feroces, rebelles, distortique

« moribus erunt obedientes et simplices, ita quod « verbum Dei eos ingrediatur facilius, et indurati « per gratiam mollescebunt. »

20. — Salmeron exemplum hujus doctrinae in persona S. Joannis assignat, qui ut milites feroces ad sinceram redigeret penitentiam, viarum asperitatem, quae illis difficile esse videbatur, complanavit, et obedienties reddidit : « Aspera complanavit, « quando ad milites, iracundum hominum genus « et rapax, dicebat : *Neminem concutiatis, neque « calumniam faciatis, estote contenti stipendiis vestris.* »

21. — Idem asperitatem hanc moraliter magis individuans ita scribit : « Aspera in vias planas « quando lutum viscosum impudicitiae, et spinæ « amaritudinis et iracundiæ in plana convertuntur « per virtutem mansuetudinis, et gratia offensibus « ignoscendi, quando etiam ab injuriis, et male- « diciis verbis linguam coercemus, ita ut nihil aspe- « rum, et durum ex ore nostro prodeat. »

22. — Euthymius in hunc S. Luce textum scribens, per aspera sterilitatem et rigorem antiquæ legis interpretatur, quæ complanata fuit quando ei lex Evangelica adeo suavis et amabilis successit : « Obliquitas et asperitas veteris legis in rectitudinem « ac perfectionem Evangelii convertetur. » Tertulianus, lib. *V contra Marcionem*, quoque hanc asperitatem per novæ legis suavitatem mitigandam esse scribit : « Christus colles æquabit vallibus, et obliqua « diriget in rectitudines, quia omnes legis diffi- « cultates in Evangelii facilitates, et æquitates « convertet. » Etenim quid facilius et suavis esse potest, quam amare? *Plenitudo legis est dilectio.* Regius Propheta David novæ legis statum a longe prospiciens dicebat, *Ps. xxx, 9 : Posuisti in loco spatioso pedes meos.* Super quæ verba S. Augustinus ita scribit : « Certe angusta via est, sed quibus? « laboranti angusta est, amanti lata est. » Idem quoque Propheta alibi dicit, *Ps. cxviii, 32 : Viam meam mandatorum tuorum cecurri;* sed quando? *Cum dilatasti cor meum,* id quod charitate et amore Dei meditante efficitur. S. Petrus, in *Act. Apost.*, xv, 10, legem Mosaicam jugum grave denominat : *Jugum quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* At vero Euthymius, in *Luc.*, primo de veteri in lege ita loquitur : « Veteris legis jugum est obliquitas, « asperitas, et impossibilitas; » de lege autem Evangelica protinus subjungit : « Evangelii recti- « tudo, est claritas atque simplicitas, lenitas, man- « suetudo, et compassibilitas. » *Illa die* (Ila Isaias, x, 27, vaticinatus fuit) *computrescet jugum a facie olei;* ubi per oleum amor intelligitur, quia sicut oleum cunctis aliis liquoribus supernat, ita charitas omnibus aliis virtutibus superior existit. *Major autem horum est charitas.* Propheta igitur dicere voluit, quod jugum istud in legem facilem et suavem, id est, in legem amoris sit convertendum. In

sacris Canticis, vi, 11, dicitur : *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* Pagninus legit : *Anima mea posuit me, ut quadrigæ populi mei.* Quibus verbis Sponsa, per quam Ecclesia significatur, dicit, se a Sponso suo factam esse populi sui quadrigam, synagoga autem neminem in Paradisum usque perduxit, sed omnes quotquot moriebantur, in sinum Abrahae transmisit : atque insuper quantum molestia et difficultate lex illa impleri debuit, quæ in se sexcenta et tredecim complecebatur præcepta? unde Philo Carpatus, *ibid.*, ait : « Carrus vel « quadrigas Ecclesiam ipsam positam dicit, ut se « veluti piam matrem et sanctissimum vehiculum, « quo plures convehantur ad patriam, esse intel- « ligat. » Hoc enim Evangelicæ legis tempore Christianos in rheda sive quadriga in Paradisum vehi, omnesque cœli vias complanatas, jucundas et faciles factas esse dicere possumus : *Asperas in vias planas.*

Additiones.

a. — *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur.* Recte quidem per valles difficultates in via virtutis occurrentes, per colles vero et montes maligni spiritus offendentia ponentes intelligi possunt. Sed magis placet mens S. Augustini, *Serm. xxxvi, de Sanctis*, S. Chrysostomi, *Hom. x, in Matth.*, D. Gregorii, *Hom. xx in Evang. S. Leonis, Serm. vii in Quadrag.*, dicentium quod sententia hæc idem valet ac illa Christi Domini verba, *Luc.*, xiv, 11 : *Qui se humiliat exaltabitur et qui se exaltat humiliabitur.* Quo supposito : Tunc omnis vallis implebitur quando veri humiles qui per valles significantur specialiori titulo celorum regnum, in quo omnis impletio est et societas, sibi acquirunt. Mons vero omnis et collis humiliabitur, quando Dæmon qui per superbiam, velut mons erigitur, per humilitatem vincitur.

S. Joannes Climacus, spiritualis vitæ eximius Magister, in *Scala Paradisi*, modum ascendendi ad gloriam, descensum esse docet, his verbis : « Hu- « militas est janua regni cœlestis, quæ accedentes « introduct. » Salvator noster, *Joann.*, x, 9, se ostium colli esse dicit : *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur.* Hoc autem ostium valde est humile, et submissum : *Discite a me quia humilis sum corde.* Et ideo qui caput sublime habet, nisi illud submittat et humiliet, per ostium illud aditum habere non poterit. Unde S. Isidorus inquit : « Qui « intrat per ostium quod est Christus, humiliet se, « et sic sano capite poterit intrare. » Angelicus Doctor, ii, ii, 161, 3, rationem assignat cur Salvator noster specialius nobis humilitatem commendaverit dicens : « Ideo Christus præcipue nobis commenda- « vit humilitatem, quia per hoc maxime removetur « impedimentum humanæ salutis, quæ consistit in « hoc, quod homo ad cœlestia et spiritualia tendat,

« a quibus homo impeditur, dum in terrenis mag- « nificari studet. Et ideo Dominus, ut impedimen- « tum humanæ salutis, quæ consistit in hoc, quod « homo ad cœlestia et spiritualia tendat, a quibus « homo impeditur, dum in terrenis magnificari « studet. Et ideo Dominus, ut impedimentum salu- « tis auferret exteriorem celsitudinem contemnen- « dam monstravit, per humilitatis exempla; et sic « humilitas est quasi quedam dispositio ad liberum « accessum hominis in spiritualia et divina bona. » Qui idem Angelicus Doctor, in *opusculo de eruditione principum*, humilitatem primam esse docet Christianorum virtutem et evidentissimum prædestinationis signum.

S. Paulus, unde putatis tantis donatum fuisse prerogativis? Propter dumtaxat humilitatem. Cui veritatis Guillelmus Durandus in rationali Divinorum Officiorum adscriptur, dum ait : « Quia dixit : « *Non sum dignus vocari Apostolus,* propter hanc « humilitatem raptus fuit usque ad ultimum coe- « lum. »

Argute considerans S. Bernardus nequaquam Christo diversos modos defuisse, per quos Apostolis suis, quic eorum in colles major esset responderet et satisfaceret; et nihilominus statuit parvulum in medio eorum : « Numquid posuit ibi in exemplum, » inquit ille, « discipulum filium castitatis Joannem, vel « rosam charitatis Petrum, qui et tunc presentes « erant? » Postquam ergo insignia utriusque hujus Apostoli examinasset merita, subjungit dicens : « Nec lamen istos in exemplum posuit cœlorum « januam intrantis, sed parvulum humilitatis vir- « tute præcelsum. »

b. — Sed eadem humilitas infernalis assultus, insidias et tentationes vincit et declinat. Sic enim montes et colles humiliantur. His verbis Psalmistæ, *Ps. xxx, 9 : Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me de manibus inimici,* Seraphicus Doctor subjungit : « Quoniam humilitas despiciit et parvi « pendet diabolum, ejus laqueos evadendo. » Quæ- madmodum in S. Antonio Magno apparuit, qui dum omnes demonis laqueos in terra videret, et suspirans diceret : Domine quis poterit istos effugere? audivit Antonius : Humilitas. Cum enim diabolus sit superbissimus, addit S. Bonaventura, et propter hoc de cœlo ejectus, a nulla re sic vincitur, sicut a virtute quæ superbiæ immediate opponitur.

Ad dissipandum infernum nullam habemus securiorem machinam quam humilitatem. Unde S. Laurentius Justinianus ait : « Per necessaria est humilita- « tis virtus peregrinantibus, et in hoc sæculi stadio « pugnaturis. Hanc malignorum spirituum innume- « rabilis exercitus, tanquam flagellum perhorrescit, « et fugit. » Astutus ille serpens animabus perfectio- ribus vanæ gloriæ venenum instillare, tum vel maxime satagit, cum inter applausus mundi hujus exalta-

tæ, inque veneratione constitutæ esse conspiciuntur. Sed laqueos hosce, B. Petrus Damianus facile vitari posse scribit, juxta exemplum et instructionem Apostoli qui quamvis se astimari vellet in predicatione Evangelii, idemque postulare in aliis idem evangelizantibus, unde ad Thessalonicenses scribit : *Hogamus autem vos fratres, ut noveritis eos qui laborant in vos, et præsent vobis in Domino, et commendent vos, ut abundantius habeatis illos in charitate propter opus illorum.* « hoc lamen monere videtur predica- « tor egregius, ut discretus vir, et honorem sibi « delatum exterius pro fratrum utilitate suscipiat, « et eundem honorem intrinsecus pro sua humili- « tate contemnat. »

c. — Origenes, Beda et Hugo, nomine montis et collis, intelligunt inanis gloriæ studiosos, de quibus sic fatur S. Chrysostomus apud S. Thomam : « Colles autem desperatos appellat, non solum ob « superbiam mentis suæ, sed propter desperationis « sterilitatem: collis enim nullus fructus producit. » Nempe montes superbi bonorum operum steriles sunt et noxiæ herbae feraces : male fecundi, et pejus steriles; infecundi prohibite, uberes improbitate, quæ cœlestes imbres frustrantur, et virtutum operibus nutriunt superbie fastum. Peccata siquidem venialia, ut inanis gloriæ studium, et similia, animam commaculant, hominesque in charitate tepidos, et in bonis operibus et contra tentationes debiles efficiunt.

Eos quoque elatos montes desperatos intelligit S. Chrysostomus, ac si elatio sit quedam desperatio et quodammodo impotentia virtutis. O infelix inanis gloriæ studium! quod licet exiguum sit peccatum, omne est infauste reprobationis, et jus ad gehennale incendium, ac si levium peccatorum, ut hypocrisis ac inanis gloriæ amor, sit veluti licentia ad desperandum, et gehennæ titulus. Nec mirum; quia enim levia peccata passim non curantur, magna tandem præcipitia et gravissima peccata superinducunt. Dicit Ecclesiasticus, xi, 34 : *A scintilla una augetur ignis,* vel ut in textu Græco legitur : *A scintilla parva exardescit focus.* Cujus Dionysius Cartusianus hanc assignat rationem inquires : « Quia ex parva scintilla gignitur ignis, qui pau- « la latim fit magnus. » Peccatum veniale quedam est ignis scintilla, sed talis natura, ut nisi præcaueamus, magnum incendium causare possit. Dicit iterum Ecclesiasticus, xix, 1 : *Qui spernit modicam, paulatim decedit.* Qui non curat vitare parva peccata, successive corrumpit ad majora : venialia namque minora disponunt ad venialia crassiora, et omnia simul ad mortalia.

d. — Superbos per montes intelligit Chrysostomus, ut supra dictum est. Miraris vero securitatem depressionem, et contritionem superbi? Nil mirum : Superbus uno pede in via nititur, quare facilis est ad lapsus. Pro quo deprecatur Propheta Regius,

Ps. xxxiv : *Non veniat mihi pes superbiae*. Agellius per has voces, *pesem superbiae*, pompam in incessu, quam vana gloria ciet, idonee commentatur. Sed cur affectum inanis gloriae sic incessu Prophetae timet? Et cur hanc levem arrogantiae noxam, pedis vocabulo designat? Scilicet, ut refert ex Lobbetio Corderius, quod superbo pes est unicus, ideoque sicut diu consistere non potest, qui unico tantum stat pede, eoque totam corporis incumbentis molem sustinet: ita etiam nec diu stare potest superbus peccator. Nutabit ille, dubiumque librabit corpus; ac tandem praecipit in ruinam dabit.

e. — Non absque re per *valles* intelligi poterunt huius vitae tribulationes, per montes et colles vero consolationum amenitates. Quod autem dicitur, *omnis vallis impletur*, idem est ac si diceretur, inanitas et profunditas vallis tribulationum impletur consolatione, et quidem ita ut illa consolationum altitudo se ad proportionem praehabita tribulationis dimittat; juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum mensuram, consolationum spiritualium crescit, imo et superexcedit abundantia. Quam ob causam Theophylactus, quemcumque in servitio Dei amplectendo dubium et ancipitem alloquens, hocce eum exhortatur motivo: « Ne respondeas animam, quisquis audis afflictiones et mala; quanto enim haec exuberant, tanto exuberant consolationes. » S. Augustinus ait: « Sicut fructum florem anteedit, sic poenitentia et dolor letitiam praebet, et dolori letitia succedit. » Vos autem *contristabimini*, suis Christus praedicebat Apostolis; ecce flores; at qui eos subsequuntur fructus? *Tristitia vestra vertetur in gaudium*.

VERSUS 6.

Et videbit omnis caro salutare Dei.

Et videbit.

1. — Verbum illud increatum ab eterno in sinu Patris absconditum substituit: *Unigenitus, qui est in sinu Patris*, Joan., xi, 18. Unde Isaia, xlv, 45, merito de ipso dicit: *Vere tu es Deus absconditus*. Quinque autem millium annorum spatio et amplius, postquam caelum creasset empyreum (*Verbo Domini caeli firmati sunt*) in operibus quidem ab ipso creatis videri poterat, in facie autem nunquam factus est terrae visibilis, adeoque mortalium nullus se Deum vidisse dicere potuit, quia, *non videbit me homo, et vivet*, Exod., xxxiii, 20; at vero post paucos dies uniuersique homini visibilis apparebit, et descendet, Baruc., iii, 38: *Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, sed quo fine? Joan., x, 40: *Veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*. Cajetanus dicit: « Ecce adventus Messiae omnibus carnalibus oculis manifestus, venit enim in vero corpore visibili, et sic publice conversatus est, ut potuerit (quantum est ex parte sui) ab universis

« oculis carnalibus videri. » Lucas Brugensis legit: « Omnis homo ipsis suis oculis corporeis. »

2. — Rupertus Abbas Tuitiensis, *De vict. verbis*, l. iii, c. vii, ad illam ab Assnero Rege promulgatam legem sese reflectit, quia verebatur, ne ullus coram ipso nisi primo expresse invitatus et vocatus compareret; legisque illius frequentibus verbis tangit mysterium: « Ut Rex magni imperii plus homine putaretur habere aliquid, et ne vilior fieret ex usu publicae visionis; » verum non ita suprema illa Majestas facit, *quam adorant Dominiones, tremant Potestates*; quia potius ut nostram operaretur redemptionem, primorumque parentum peccatum expiraret: *Ecce quasi unus ex nobis factus est; in terris visus est, cum hominibus conversatus est; videbit omnis caro; opprobrium hominum, et abjectio plebis*; non enim solum dignatus est pro nostra salute homo fieri, sed homine quid minus, ut ita loquar, fieri voluit: *Ego sum vermis non homo*.

3. — Considerandum est autem, quod non unusquisque hominum ipsum velut salutare, et Salvatorem aspiciere poterit, sed illi tantum, qui per condignas preparationes ad illum recipiendum sese disponunt. Unde Lucas Brugensis ait: « Quem scilicet quicumque cum fructu salutis videre vult, et digne excipere, ut debet, necessum est ut ejus vita moresque sint hac ratione preparati. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, » non oculus corporalis, sed cor mundum oculus ille erit: qui utiliter et fructuose in Salvatore deligi poterit.

4. — Sciendum quoque est, verba haec ex Isaiae prophetia, xl, 4, desumpta esse, qui postquam dixisset: *Erum prava in directa et aspera in vias planas*, immediate subjungit: *Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*.

5. — Salmeron ad illa verba: *Quod os Domini locutum est* sese reflectens, dicit: « Significant, « quam sit Deus verax, quomodo adimpleat quae promisit. » Enimvero quod gloriae Dei in ejus Nativitate factam revelationem attinet, de ea nemini dubium esse potest, siquidem mox ut natus fuit, Angelorum hierarchiae ipsum terrae annuntiantes, caelitus descenderunt: « Gloria in altissimis Deo; de Virgine nasci dignatus est, ut hominem perditum ad caelestia regna revocaret. » Ad haec Salmeron ait: « Ex adventu Domini revelata est gloria Domini, id est, Filius Dei, sive vera Dei cognitio in mundum introducta est. »

Omnis caro.

6. — Id est, *omnis homo*, quia in Scriptura sacra Caro idem est quod Homo. *Verbum caro factum est: Omnis caro corruerat viam suam*. Quodsi vero nomine carnis peccatores intelligere velimus, de illis quoque verum erit dicere, quod de Filii Dei in hunc mundum adventu participes futuri sint, non

quidem ad utilitatem, sed ad damnum et perniciem ipsorum, idque propria ipsorum culpa; etenim ipsum quidem videbunt, sed ut severum judicem, quem tanquam misericordem Redemptorem contempserant. Porro in vigilia Natalis Domini haec verba Deum rogabimus: « Praesta ut unigenitum Filium tuum, quem Redemptorem laeti suscepimus, venientem quoque judicem securi videamus. » Glossa ex adducto Bedae testimonio ita loquitur: « In hac vita omnis homo Christum videre non potuit, sed in die judicii in sede Majestatis et electi, et reprobi pariter videbunt, ut iusti remunerentur, et mali in eternum gemant. »

7. — Titus Bostrensis haec verba de fructu redemptionis nostrae exponit, qui ad omnium salutem ordinatus erit; siquidem vult omnes salvos fieri, « voluntate anteedenti, » ut scholae loquuntur: « Quia eo potentiunt omnes, et fructus ac virtus ejus dilatabitur usque ad fines terrae. »

8. — S. Bonaventura pariter de promulgatione Evangelii per totum mundum facienda interpre-

tatur, addoque illud Psalmi xxvii, 3: *Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri*.

9. — Dionysius Carthusianus nihilominus ita exponit: « Omnis homo, id est, aliqui de omni genere hominum corporaliter aspererunt: *Ecce lotus mundus abiit post eum.* »

Salutare Dei.

10. — Lyranus ait: « Id est Christum; » hic enim a sancto sene Simeone, dum eum pectori suo foriter adstringeret, hoc titulo appellatus fuit: *Viderunt oculi mei salutare tuum*, Sciendum autem, quod, ubi *Vulgata nostra*, Jer., xxxi, 22, legit: *Poenitentia circumdabit virum*; septuaginta legunt: *Circumdabit novam salutem*, ac proinde jure merito Saluator appellatur: *Ipsae enim salvam faciet populum suum*.

11. — Euthymius ait: « Salutare, lumen Evangelii, vel salutarem incarnationem, quae ambo praeparavit Deus ante faciem omnium populorum. »

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS

EVANGELIUM LUCE, CAP. II, VERS. 33

33. Erat Pater ejus et Mater, mirantes super his, quae dicebantur de illo.
 34. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam Matrem ejus: ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel; et in signum, cui contradicetur.
 35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.
 36. Et erat Anna Prophetissa filia Phanneel de tribu Aser: haec processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.
 37. Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor, quae non discedebat e templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.
 38. Et haec, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.
 39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galileam in civitatem suam Nazareth.
 40. Puer autem crescebat, et confortabatur; plenus sapientia: et gratia Dei erat in illo.

VERSUS 33.

Erat Pater ejus et Mater, mirantes super his, quae dicebantur de illo.

1. — Syriaca legit: *Mirabantur, Vatablus: Tenebantur autem Pater ejus et Mater admiratione*. Toletus dubium hoc loco movet, quia ratione videlicet admiratio isthaec in matrem ejus cadere potuerit, cum haec a novorum et inopinatum eventuum ignorantia communiter provenire soleat, ipsa autem

omne id quicquid illi Simeon dixit, seu potius praedixit, optime sibi perspectrum habebat, utpote quae « Regina Prophetarum, » ab Ecclesia appellatur. Quod enim Simeon senex Salvatore ad populum Israel redimendum, gentesque illuminandas venisse illi praedixit, hoc totum pridem antea perspicuum illi fuerat, prout ex ejus sacro Cantico clare deducitur, ubi inter alia ait: *Suscipit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae, sicut locutus est ad patres nostros*; Archangelus quoque de divino ejus partu illi revelaverat, dicens: *Salvum*